



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

Titulus V. Regna.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

## §. III.

*Redemptio beneficium maximum,  
opus Dei.*

Quinquagesies, nec saepius, minusve, reperitur in Scriptura Sacra mentio liberationis, & egressionis filiorum Israel ex Aegypto. Ad denotandum verum Jubilaeum nostrum sive Pentecosten, in quo Spiritus Sanctus diffunditur; sed non sine praevia, frequentiq; redemptionis nostrae recordatione, atque gratiarum actione. Doultreman de am. l. 1. c. 3. Sect. 10.

*Dominare nostri tu, & filius tuus, & filius filij tui: quia liberaſti nos de manu Madian.* Judic. 8. 22. In illo, & unico, conflictu, Gedeon ne guttam quidem sanguinis effudit; nec vulnus ullum, aut ictum, accepit. Et tamen adeo grati sunt filii Israel: ut ei, filioque, & nepoti, subiciant. Quid nos superno Duci nostro facere debemus; qui tot, tantisque, expensis nos liberavit &c. Diez. fer. 4. D. 2. Quadr.

*Domine opus tuum.* Habac. 3. 2. Opus intelligit liberationis Judaeorum à Babylone: & mysticè redemptionis generis humani è captivitate Diaboli, & peccati, per Christum. Cornelius hic.

*Fecit potentiam in brachio suo.* Luc. 1. 51. Ea, quae exiguas vires requirunt, digito solemus efficere: ut si palea ex humo tollenda est, digitis tollitur; trabs verò brachio, ob pondus, tollenda est. Cætera omnia opera DEI, comparata operi redemptionis, vocantur exigua. Et ideo de David: quoniam videbo caelos, opera di-

gitorum tuorum, lunam, & stellas; quae tu fundasti. Pl. 8. 4. At redemptionis opus ait sanctissima Virgo brachii divini opus fuisse. Diez. conc. 1. de Incarn. D.

*Recogitate eum, qui talem sustinuit &c.* Hebr. 12. 3. Quantum sit redemptionis beneficium, non potest in hac vita penitus cognosci. Nam ad hoc beneficium plene cognoscendum, oportet intelligere, quid nobis propter id datum fuerit: scilicet caelestis beatitudo, & liberatio ab Inferno. Quibus igitur oculis Electi sanctissima illa Christi vulnera respicient, è quibus tanta illis bona profluxerunt. Diez. in Pass. Dom.

*Miscellanea.*

*Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Matth. 9. 6. S. Hilarius Can. 7. in Matth. ait tribus illis verbis, *surge, tolle lectum, vade*, denotari totam redemptionem per Christum factam. *Surge* significat remissionem peccatorum per gratiam: *tolle lectum tuum*, corporum resurrectionem: per eam enim homo iterum reassumit carnem suam; quae jam non est nota infirmitatis, sed signum perennis salutis. *Vade in domum tuam*, ingressum in regnum caelorum. Sylveira hic.

Quibus modis mors in seculum venerat, iisdem modis vita saeculo pervenit. Lignum enim per Adam operatum est mortem; lignum per Christum operatum est vitam: & quem Diabolus persuadendo deiecit, eum Dominus liberando salvavit. S. Chrysof. f. de interdicione arboris ad Adam.

TITULUS V.  
REGNA.

## §. I.

*Regnum Christi Domini.  
Ex Veteri, & Novo.*

*Parvulus natus est nobis.* Isa. 9. 6. *factus est principatus ejus super humerum ejus.* Clementissimus Princeps regnum suum super humerum gestat. S. Thom. Vill. f. de S. Steph.

*Adveniat Regnum tuum.* Matth. 6. 10. Regnat in terra cupiditas, caro, mundus, diabolus: cupimus in homine Deum regnare; & propterea *adveniat regnum tuum*, ad destructionem horum regnorum. Quantum enim in nobis regnat avaritia, aut luxuria, aut quodvis aliud vitium; tantum subtrahitur regno Dei in terra. Cajetanus hic. O venerabilis ordo regni Dei! o rationabilis, & opportuna, consolatio regis Dei! Non venit hoc regnum cum festinatione; quemadmodum regnum hujus mundi; de quo rectissime dictum sit: *hereditas, ad quam festinat in principio, in novissimis suis benedictione carebit.* Prov. 20. 21. S. Rupertus in Ezech. c. 1.

*Simile est regnum caelorum grano sinapis.* Matth. 13. Regnum Nabuchodonosoris comparatur arbori magnae: regnum Alexandri Ce-

dro magnae: Romanorum regnum monti: Christi verò regnum, quod universa illa comminuit, grano Sinapis. Oforius D. 6. Epiph.

*Regnabit in domo Jacob.* Luc. 1. 32. Cur non dixit regnabit in domo Abraham, aut Isaac? si Abraham, & Isaac, Patres Domini vocantur, & Salmeron: non in domo Abraham, in qua Ismaël pugnat cum Isaac: nec in domo Isaac, ubi Esau persequitur Jacob: sed in domo Jacob, quae caeteris sanctior. Escobar t. 3. Coll. Chr. t. 3. l. 9. Sect. 1. Obs. 2. Super omnes, beatos, & reprobos, aqua, & una, potestate regnabit: beatificè super bonos; horrendè atque terribiliter, super malos; tam aeternè, quam aeternus est Deus; ut infinitati infinitas nulla succedat. Sim. Cass. l. 2. c. 6. Cur in domo Jacob? non Abraham, aut Isaac? Primò in domo Abraham duo nati sunt filij: unus tantum scilicet promissionis obtinuit benedictionem. In domo Isaac duos peperit Rebecca; unus tantum affecutus est benedictionem. At in domo Jacob duodecim progeniti filij, & omnes propriis benedictionibus dirati sunt à patre. Gen. 41. 1. &c. In hac ergo domo praefiguratur regnum Christi; cujus dona non unus, vel alter possidet, sed ad omnes se extendunt. Secundò, Jacob moriturus transpositis manibus benedixit nepotibus

potibus. Gen. 48. 13. Quò crucis figuram expressit. Merito igitur dicitur regnare in domo Jacob, ubi Crucis figura apparet; qui regnum suum in cruce, & laboribus, quib⁹ nos redemit, collocavit. Tertio. Jacob, cum audisset, filium suum Joseph in Ægypto regnare, dixit. Gen. 43. 28. *sufficit mihi, si Joseph filius meus vivit.* In hac ergo domo, ubi non terrena, sed vita JESU, qui in Joseph figurabatur, quaeritur; & ipsa sufficit nobis, licet amici omnes mortales sint, dum JESUS auxiliator noster sit, ubi regnare dicitur Christus. Sylveira hic.

*Anno quintodecimo imperii Tiberii Casaris &c.* Luc. 3. 1. Cælorum regnum Joannis tempore appropinquabat; Judæorum verò regnum desinebat. Tunc enim cælum appropinquat, cum terræ desinit. Romanum imperium fuit illis *virga ferrea*. Pf. 2. 9. Virgam aliam auream Messia postea misit, cui subicerent capt. Pf. 109. 2. *virgam virtutis tue emittet Dominus ex Sion.* At miseri ferream auream præulerunt *non habemus regem, nisi Casarem.* Joan. 19. 15. Ferrea virga eos confregit Pf. 2. 9. tanquam vas figuli confringes eos. Barradius t. 2. l. 1. c. 7. Dom. 4. Adv.

*Porro unum est necessarium.* Luc. 10. 42. Hoc scilicet est regnum Dei; quò habitò nihil deest. *Querite primum regnum Dei &c.* Matth. 6. 33.

*Per venit in vos regnum Dei.* Luc. 11. 20. Regnum Dei, ubi regnat Deus, per virtutem, & gratiam. Regnum Dei Ecclesia sancta Dei, libertas à vitiis, habitusque virtutum. Regnum Dei amor est ejus. Sim. Cas. l. 5. c. 23.

*Donec impleatur in regno Dei.* Luc. 22. 16. Aliquid magni, atque insigne, innuit JESUS, cum desiderabat Pascha transitus manducare cum Apostolis: nam omnia suis spatiis transeunt sub sole. Transivit innocentia in cælo aliorum Angelorum; transivit illa primorum parentum. Transivit diluvium, transferunt Patres antiqui, transferunt Reges Judæorum, transivit Synagoga; transferunt, & transeunt regna gentilium. Unde Ecclesiasticus dicit: *Regnum à gente in gentem transfertur.* c. 10. 8. Transferunt tempora non reditura; transeunt Mundi bona. Transferunt Apostoli, Martyres, & Confessores; transferunt Pontifices, & succedunt. In æternum verò stat, & nunquam transit regnum Dei æternum, beatitudo Sanctorum. Sim. Cass. l. 13. c. 4.

*Fecit nos Deo, & Patri suo, regnum, & Sacerdotes &c.* Apoc. 1. 6. Fecit nos regnum: ut, qui primò eramus regnum diaboli, modò simus regnum Dei: & in quibus priùs regnabat diabolus, in eis modò regnet Deus. Fecit nos regnum: ut in nobis destrueremus mala: ædificemus bona; vitia; deprimamus, virtutes erigamus. Fecit Sacerdotes: ut, qui priùs dæmoniis immolavimus, Deo deinceps immolemus: & qui antè obtulimus diabolo sacrificia peccatorum, amodo offeramus Deo Sacrificia bonorum operum. Richardus à S. Viçt. l. 1. h. c.

## § II.

## Regnum cælorum.

*Appropinquavit regnum Cælorum.* Matth. 3. 2. Durante statu veteris testamenti annun-

tatum est à Lege, & Prophetis, regnum terrenum; opulencia rerum temporalium: à tempore autem Joannis Baptistæ evangelizatur regnum Dei; regnum cælorum, non terrenum. Cajetanus in Luc. 16.

*Simile est regnum cælorum grano sinapis.* Matth. 13. 31. Illud regnum singularitate potens, æternitate felix, divinitate fulgens, diffusum totò cælo, totà terrâ dilatatum; in grani sinapis, coarctat, & concludit angustias. Spes ista est credentium tota? expectatio ista est Fidelium summa? ista est felicitas Virginum longis continentia laboribus comparata? ista est gloria Martyrum totius acquisitione sanguinis conquesta? Hoc est, quod nec oculus vidit &c. hoc est, quod ineffabili Sacramento diligentibus Deum promittit Apostolus, esse præparatum? S. Chrysol. l. 98. de grano sinapis.

*Fuit in diebus Herodis.* Luc. 1. 5. Cur fit mentio de diebus Herodis? Hugo Viçt. l. 4. inquit, mon, venit Herodes, qui non erat de Israël; & arripuit sceptrum dominationis in populum: ut ad exordium cælestis imperii carnale regnum deficeret; & promissus à sæculis Rex Israël, cum non esset sceptrum de Juda; æternum reciperet, quod temporale transferat. Ut sciatur, quòd ad præsentiam regni cælestis omnia bona temporalia disparent. Sylveira h. c.

In Regnum Dei vocati sumus: dignè regnò ambulemus. Clem. Alex. l. 3.

Dignum valde est, & omnino exigit ratio æquitatis, ut quibus à constitutione Mundi regnum paratur, ipsi etiam regno parare non negligant: nè parato regno forsitan inveniantur, qui regnaturi fuerant imparati. Quærimus ergo, quemadmodum regno parato parari debeant reges futuri. S. Bernardus serm. de eo, quod legitur in Job. in sex tribul. &c.

Dignum omnino est, & omnino exigit ratio æquitatis; ut quibus à constitutione Mundi regnum paratur, ipsi etiam sese regno parare non negligant. Gvarricus serm. de Scripturar. Sac. utilitate.

## § III.

## Regnum anime.

*Ad duxit ea ad Adam.* Gen. 2. 19. Neque illi quidquam vel nocere audebat, vel insidiari: quippe quod in eo videbant regiam relucens maginem. Simulac verò speciem illam peccati tenebris obscuravit, DEUS hominem de imperii statu dejecit. S. Chrysol. lib. de Virginit.

*Adveniat regnum tuum.* Matth. 6. 10. id est, regnum tuum nobis adveniat; ut tu regnes in nobis in hac vita per gratiam; & nos in te in alia per gloriam. S. Edmundus spec. Eccl. c. 17.

*Regnum DEI intra vos est.* Luc. 17. 21. Advertimus, in nobis regnum cæleste solidari, cum Christus, explosò Mundani principis regnò, fugatisque deliciis sæcularibus, intrà nostrorum regnat secreta animorum. S. Ambros. l. 5. in Luc. hic.

Regnum DEI vocati sumus; dignè regnò ambulemus. Clem. Alexand. l. 3. pædag. cap. 11.

Verum

Verum regnum istud est, posse nos optimā vitā propitium, & clementem, nobis facere Deum. S. Chrylost. hom. 23. in Gen.

§. IV.

### Regna Mundi.

Num. 1.

#### Figura, & Symbola.

**Quid est, quod tenes in manu tua?** Ex. 4. 2. Hæc virgâ, ejusque metamorphosi significabantur vices Hebræorum, sive tres eorum status in Ægypto. Hebræi enim virgam, id est, sceptrum, & principatum tenebant, vivente, & regente, Josephô. Eo vitâ functô virga hæc in terram projecta, & versa in colubrum, quia Hebræi prius chari, post mortem Joseph exosi fuere Ægyptiis. Rursum hic coluber in virgam versus est in manu Moysis: quia populo suo rursus sceptrum, libertatem, & dominationem, attulit. Cornelius hic. In ora vestimenti malogranata. Ex. 39. 23., quibus regna notantur, ut ait S. Cyrillus Alex. l. 11. de Ador. in spir.

**Aque Siloe, quæ vadunt cum silentio.** Isa. 8. 6. Symbolum sunt regni, & stirpis Davidis, ob ejus humilitatem, modestiam, & pietatem: & quia ex ea prognatus est Christus, Rex mansuetissimus, & modestissimus. Cornelius Hieroglyph. hic.

**Et in medio ejus similitudo quatuor animalium.** Ezech. 1. 5. Currus hic, seu quadriga, adumbrat quatuor Monarchias, inquit Lyran. Maldonatus, S. Justinus, Chaldæorum, Persarum, Græcorum, Romanorum. Totus enim Mundus est quasi currus, quem moderatur auriga Deus. Cornelius hic.

Residuum erucæ comedit locusta &c. Joel. 1. 4. Illius everio populi per quatuor hæc facta est, erucam, locustam, bruchum, & rubiginem: id est, per quatuor regna hæc, Babylonicum, Persicum, Macedonicum, atque Romanum. S. Rupertus l. 4. de oper. Spir. S. c. 4.

**Erexit cornu salutis.** Luc. 1. 69. Cornu signatur regia potestas: quoniam in veteri Testamento oleum, quod ungebantur reges, ferebatur in cornu. Juxta quod dictum est Samueli 1. Reg. 16. 1. *imple cornu tuum oleo.* Proinde cornu erectum in domo David est regia Christi potestas. Sim. Cass. l. 3. hic. Cornu in Sacris literis modò pro regno, modò pro robore, modò pro potentia, usurpatur, S. Titus Boftr. hic.

Num. 2.

### Regna Mundi instabilia, vana, &c.

Pleraq; Symbolicè.

#### Ex Veteri.

**Obtulitq; munera Eglon Regi Moab.** Judic. 3. 17. Eglon *rotam* nomine protulit, & rotæ vertiginem suo casu, ac morte, repræsentavit. Origenes hic.

**Cum abieris hodie à me, invenies duos viros juxta sepulchrum Rachel.** 1. Reg. 10. 2. Samuel Propheta postquam Samuelem in regem unxit, mox præcepit ei abire versus Ra-

chelis sepulchrum, Regnare & mori, connexionem inter se habent. Incertò. Auth.

Saul ungitur in Galgala, 1. Reg. 11. 14. quod interpretatur *rota*.

**Imple cornu tuum oleo.** 1. Reg. 16. 1. Saul inunctus fuit oleo lenticulæ ficilicis, 1. Reg. 10. in signum, quod regnum suum citò frangendum erat. David autem ungitur oleo cornu: quia regnum ejus duraturum erat in æternum. Hugo Card. hic.

**Et statuit duas columnas in porticu templi vocavit eam nomine Jachin: similiter erexit columnam secundam, & vocavit nomen ejus Booz.** 3. Reg. 7. 21. Jachin firmitas, Booz robur. Optat Salomon, ut regnò salvò saluum staret templum, sic Lyranus. Sed repugnant columnarum fastigia, liliis ornata. v. 22. Super capita columnarum opus in modum lili posuit: quasi insinuans, regna, ut lilium, evanescere. Velloso in Judith 3. Paræn. 9.

**Ego Salomon fui Rex in Jerusalem.** Ecclæ. 1. 12. Cur non dicit, ego sum Rex? vivebat enim dum hoc diceret. Hugo à S. Victore: fui, jam non sum: quia, est sum; idipsum vanitatem, & nihil, esse agnosco, quod sum.

**Omnis potentatus vita brevis.** Eccl. 10. 11. Reges Chaldæi, teste Herodotò l. 1. gestabant, sceptrum, in quo rosa, aut similis flos, erat insculptus: rosa autem, quia frigida, ebrietati resistit. Igitur sceptro, quod homines fastu inebriat, & dementat, incidebant rosam: quæ licet sit speciosa, subito tamen marcescit: ut cogitantes, sua scepra brevi corrumpenda, fastum ponerent. Cornelius in Eccl. 7.

**Date florem Moab.** Jerem. 48. 9. Hebræum estis florem, alam, & coronam, valet. Addit textus: quia *florens egredietur*; scilicet ad honores funebres. Nec flores à tumulo dissi- dent: constat enim, defunctos, floribus, & herbis olentibus coronatos, efferi in tumulum. Velloso in Judith. 3. Paræn. 9.

In Ezechielis quatuor animalibus quatuor Mundi Monarchias nonnulli interpretes agnoscunt: ubi *rotæ instabilitatem* exprimunt. Et insuper c. 1. 16. *aspectus rotarum, & opus earum, quasi visio maris*; quò nihil turbulenti- us. Dan. 7. 2. Quatuor venti pugnant. Mendoza in 1. Reg. 2.

**Fecit transire Samaria regem suum quasi spumam &c.** Ol. 10. 7. de excidio regis Samaria.

Quatuor quadrigis quatuor Mundi imperia comparantur. Zach. 1. 6. quia non minor in his, quam in illis, volubilitas reperitur. Mendoza in 1. Reg. 2.

**Hoc est sepulchrum, quod fecit in Modin.** 1. Machab. 13. 30. Simeon Dux Machabæorum ædificavit super sepulchrum patris sui columnas magnas, juxta arma naves sculptas. Regiæ majestatis insignibus naves junguntur, regnorum instabilitatem significantia. Unde & veteres olim Imperatores, teste Strabon. l. 7. pictis navibus pro regia corona utebantur: ut videlicet Imperatoria majestas, non firmò solò stabilita, sed fluctuante salò exagitata, ostenderetur. Incertò Auth.

Ex

## Ex Novo, &amp; aliis.

*Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Matth. 4. 9. Quam nihili Sathanas omnem Mundi gloriam, opes, regna, æstimat: cum illa omnia se daturum promittat pro unius hominis (non enim certò Deum esse agnoscebat) submissâ corporis inclinatione. Tale Herodes de imperii gloria tulit iudicium, cum puellæ saltatrici dimidium sui regni partem sub juramento pollicitus est. Sic advertit S. Ambrosius l. 3. de Virginibus. vide, quemadmodum sæculares ipsi de Sacerdotibus suis iudicent; ut pro saltatione etiam regna donentur, Fernandus in Gen. 2. Sect. 8.

*Et arundinem in dextra ejus.* Matt. 27. 29. Calamus ille, (seu arundo, quæ percussus Christus) mysterium fuit sceptri vani, & fragilis; super quod incumberebamur omnes, priusquam crederemus sceptrum maligni. Confidebamus enim in virga calamina Egypti, vel Babylonis, vel cujuscunque regni contrarii contra regnum Dei. Orig. tr. 35. c. 27. in Matth.

*In via inter se (Discipuli) disputaverant, quis eorum major esset?* Marci 9. 33. Ubi D. Hieron. rectè in via tractabant de principatu: similis enim est hæc tractatio loco. Principatus enim sicut ingreditur, sic deseritur. Et quamdiu tenetur, labitur, & incertum est, in qua mansione, id est, die finietur. Mendoza in 1. Reg. 2.

*Ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis.* Luc. 4. 5. Benè in momento temporis sæcularia, & terrena, demonstrantur: non enim tam conspectus celeritas indicatur, quam eadem fragilitas potestatis exprimitur. In momento enim cuncta illa prætereunt: & sæpe sæculi honor abiit, antequam venerit. S. Ambrosius l. 4. hic. Ideò vaser hostis in præaltum montem Jesum transtulit, ut eminens intuens regna terrarum illiceretur eorum fucò: quem certò ridendum sciebat cominus intuenti. Quam liberalis est Mundus in suarum exhibendo pompa dignitatum! at solos oculos fallaci spectaculo detinet. Semper ostendit, semper se clamitat daturum, rarò confert. In momento temporis omnem ambitionis supellestem expromit. Haud igitur grandis pompa hujus Mundi, quæ tam brevi temporis punctò exponi potest. Oliva l. 13. Strom. hic.

Verbum divinum choreas in orbem ducit. Philo Hebr. lib. quòd Deus sit immutabilis. An non singulorum hominum, urbium, populorum, provinciarum, cum status varios, & innumeras vicissitudines, intueris, ab ipso Deo choreas agi putas? Volente enim Deo, & movente, in spatiosam Mundi arcem, Medorum, Græcorum, Chaldæorum, Romanorum, imperia educuntur; ibi gestire, & tripudiare, videntur, dum dominantur. Sed subinde volente Deo, iterum receptui canitur; quiescunt, disparent, atque illis in orbem, in choreas, & gaudia succedunt. Fernandus in Gen. 1. 1. Sect. 1.

S. Ludovicus Tolosanus Ep., Caroli Sicilia Regis filius, terrenum regnum vocabat splendidam servitutem, & honestum ergastulum, Doultreman l. 1. c. 5. Sect. 6.

Carolus V. senescens, onerum, & curarum Reip. pertæsus, cum Bruxellæ principatum Belgii in filium Philippum Secundum transferret; illacrymans dixit: ô fili! magnum tibi onus impono: ego enim totò tempore principatus mei nunquam quadrantem horæ magnis curis, & anxietatibus, vacuum habui. Cornelius in Num. c. 11.

Num. 3.

## Regna quomodo conserventur.

*Domine Deus! unde scire possum, quòd possessurus sum eam?* Gen. 15. 8. 9. amplam scilicet hæreditatem. Desiderabat Abraham pro se, suisque posteris, certam felicitatis reteram; tuncque sacrificium Domino offerre jubetur. *Et respondens Dominus: Sume mihi vacam triennem, & capram trimam &c.* Naxera in Jos. 18. §. 4.

*Congregati sunt omnes filij Israel in Silo, ibiq; fixerunt tabernaculum testimonii.* Jos. 18. 1. Quid tunc? *Et fuit eis terra subjecta.* Pacatum possident regnum, dum figunt Numinis tabernaculum: hostibus terribiles fecit religio. Mafius hic: laudanda profectò est populi religio; cui ante omnia curæ est Dei sacrum, & cultus divinus. Tunc enim demum feliter succedunt res humanæ, quando divinæ præcesserunt. Naxera ib.

*Dederuntq; in manu tenendam legem, & constituerunt eum regem.* 2. Paral. 23. 11. Nota: prius legem manu regiæ exseptam; deinde regem pronuntiatum: quasi via ad regnum solidandum foret legis observatio. Isidorus Pelusiota l. 4. ep. 142. quibus legitimum contigit imperium, iis bene procedet; ubi obtinuerit pietas. Velloso in Judith. 6. Paræn. 48. Ciconia in pinnaculo templi. Lem. *Hic tutior.* Isid. Pelus. l. 2. ep. nam regni quoque basis erga Deum pietas est. Picinelli.

## Miscellanea.

*Venient Romani.* Joan. 11. 48. *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Psal. 13. 5. August. hic: trepidaverunt in damno temporalium, ubi non erat timor. Timuerunt regnum terrenum amittere, & amiserunt regnum cælorum, quod timere debuerant. Peccat Mundi lucrum, nè fiat animæ damnum. Escobar. t. 2. Pers. Chr. l. 9. sect. 1. obs. 1.

Tunc magis dominorum exercitus contra hostes crevit, quantò Dei exercitus ad orationem creverit. S. Gregor. ep. 51. Remotâ iustitiâ, quid sunt regna? nisi magna latrocinia. Quin & ipsa latrocinia quid sunt? nisi prava regna. S. August. de Civ. l. 4. c. 4.

